

C. IVLI CAESARIS

2 Dixerat aliquis leniorem sententiam, ut primo M. Marcellus,
ingressus in eam orationem, non oportere ante de ea re ad
senatum referri quam dilectus tota Italia habiti et exercitus
conscripti essent, quo praesidio tuto et libere senatus quae
3 vellet decernere auderet; ut M. Calidius, qui censebat ut 5
Pompeius in suas provincias proficisceretur, ne qua esset
armorum causa: timere Caesarem ereptis ab eo duabus
legionibus, ne ad eius periculum reservare et retinere eas ad
urbem Pompeius videretur; ut M. Rufus, qui sententiam
4 Calidi paucis fere mutatis rebus sequebatur. Hi omnes 10
5 convicio L. Lentuli consulis correpti exagitabantur. Lentulus
sententiam Calidi pronuntiaturum se omnino negavit,
6 Marcellus perterritus conviciis a sua sententia discessit. Sic
vocibus consulis, terrore praesentis exercitus, minis amico-
rum Pompei plerique compulsi inviti et coacti Scipionis 15
sententiam sequuntur: uti ante certam diem Caesar exer-
citum dimittat; si non faciat, eum adversus rem publicam
7 facturum videri. Intercedit M. Antonius, Q. Cassius,
tribuni plebis. Refertur confestim de intercessione tribu-
8 norum. Dicuntur sententiae graves; ut quisque acerbis- 20
sime crudelissimeque dixit, ita quam maxime ab inimicis
Caesaris collaudatur.

3 Misso ad vesperum senatu omnes qui sunt eius ordinis
a Pompeio evocantur. Laudat promptos atque in posterum
2 confirmat, segniore castigat atque incitat. Multi undique 25
ex veteribus Pompei exercitibus spe praemiorum atque
ordinum evocantur, multi ex duabus legionibus quae sunt
3 traditae a Caesare arcessuntur. Completur urbs, clivus,
4 comitium tribunis, centurionibus, evocatis. Omnes amici